


S T A T V S
M E D I O L A N E N S I S
P A R S A L P I N A,
five
S E P T E N T R I O N A L I S.



Lacus.

Lpina five Septentrionalis pars Mediolanensis Status exhibet Lacus maximos, nempe : *Verbanum*, vulgo *Lago Maggiore* Italis, Germanis autem *Langzee*; *Gauni Lacum* admodum tortuosum, Italis *Lago di Lugano*, ab oppido illi adfiteo, uti & *Ortanum*, *Lago di Orta*; *Larium*, hodie *Lago di Como* adcolis, Germanis *Chumer-see*; & alios præterea minores innumerabiles. Fluvii in ea præcipui sunt, *Ticinus*, & *Addua*. Inter civitates excellit *Comum*.

Comum.

Comum antiqua Romanorum colonia, urbs parva, sed nobilis & opulenta, rebus omnibus adfluens, munita est ad limites Helvetiorum, incolasque habet industrios & diligentes; muros, qua Mediolanum spectat, constructos ab Ioanne Vicecomite, Archiepiscopo & Principe Mediolanensi, anno *CIO CCELV*, à quo & *castellum Turris Rotunda* excitatum. Plinius ab *Orobis*, Alpium incolis, ortum tradit. Condiderunt procul dubio, ut alia hoc tractu, *Tusci*; quibus pulsus, occupatum fuit ab *Gallis*. Ab Marcello deditioe quondam captum, *coloniam* fuisse mediocrem, sed *Pompejum Strabonem*, Magni patrem, colonos restituisse; *Rhætos* eam vastasse, *C. Scipionem* tria millia hominum addidisse, *Cæsarem*que quinque millia, in quibus quingenti erant Græci civitate donati; hos *Norum Comum* vocasse, memoriam prodit *Strabo* lib. 5. Ab *Gothis Langbardiisque* diu possessum, *Caroli Magni* manu & auspiciis in *Cæsarem Romanorum* venit potestatem: sub quibus libera aliquamdiu *Romani Imperii* fuit civitas. *Ruscorum Vitianorumque* factionibus multos annos vexatum, ad extremum in *Mediolanensium* ditionem est redactum, similemque cum *Mediolanensibus* expertum fortunam, nunc *Francia*, nunc *Hispanie regum* paruit imperio. Ingentem patrum ævo calamitatem accepit ab *Cæsaris* legionibus, quod fusos acie *Gallos* intra mœnia recepisset. *Episcopatus* floret dignitate. Patria cum *Ioviorum*, *Benedicti*, *Paullique*, *Episcopi Nucerni* scriptis nobilissimi; tum *C. Plinii secundi* fuit, ejus, cujus exstant epistolæ. *C. enim Plinius Veronensis* scriptor historiæ naturalis, sororem habuit *Pliniam*, nuptam *C. Cæcilio Novocomensi*, ex qua natus est *Plinius secundus*, etiam Italia.

Novocomensis, qui epistola sexta libri tertii *Severum* municipem suum rogat, ut signum *Corinthium viri senis*, quod ipse pluribus verbis commendat describitque, in templo *Iovis* ponendum curet *Comi*. Etiam nunc, inquit, jube *basim fieri*, ex quo *voles marmore*, qua nomen meum honoresque capiat, si hos quoque putabis addendos. Idem ad *Cornelium Tacitum* conqueritur *Comi* nullos fuisse dicendi magistratos. Proxime, inquit, quum in patria mea fui, venit ad me salutandum municipis mei filius *Prætextatus*. Huic ego, *Studes?* inquam. Respondit, Etiam. Vbi? *Mediolani*. Et pater ejus, Quia nullos hic præceptores habemus. Quare nullos? inquam, Nam vehementer intererat vestra, qui patres estis, liberos vestros hic potissimum discere. Quæ loca huc faciunt, ut *Plinii* in patria exornanda studium innotescat. Ager illi ab meridie peramœnus & fertilis: adversa parte *Lacui* adfidet, qui ab eo *Comensis*, *Lago di Como*. Antiquis *Larium* dictus. Eum *Strabo* sub finem libri quarti dicit esse longitudinis fere stad. c c c, latitudinis x x x. longitudo à Septentrione in Austrum protenditur. Recipit in se *Adduam* fl. ortum in *Alpium jugis Rhætici*, quæ *Strabo* vocat *Diaduella*: additq; τὸ δ' ἐστὶ μέρους τῆς Ἀλπεων, ὅθεν καὶ ἡ Ἀδία εἰς τὰναντία μέρος ῥέει, ἢ πλεονεὶ τὸ ἄλλο μέρους, πρὸς ἡ ἐκποδὸν τὸ κάμνον. Fuit autem olim, estque adhuc lacus omnis *Comensis* admodum piscosus, trutis inprimis abundans. Ripa undique amœnissima, ut merito *Plin.* ad *Can.* scribat l. II, ep. 8, *Studes? an piscaris? an venaris? an simul omnia? possunt enim omnia simul fieri ad Larium nostrum: nam lacus piscem, feras silva, quibus lacus cingitur, studia altissimus iste successus affatim suggerit.* Quin & ipse *Plinius* præter *Laurentinum rus*, aliudque in *Tuscis*, sæpe ad *Larium* se recreare solitus est, villis quas plures illic possidebat, quarum duæ inprimis celebratæ, *Comœdia* in plano condita, & *Tragœdia* in edito. Referre idem lib. 4, epist. 30, Fontem esse in monte per saxa decurrentem, qui excipitur cœnatiuncula manu facta; qui ibi paullulum retentus in *Larium lacum* decidit. Hujus, ait, mira est natura. Ter in die stas auctibus ac diminutionibus crescit decrescitque. Cernitur id palam, & cum summa voluptate deprehenditur. Iuxta recumbis & vesceris, atque etiam ex ipso fonte (nam est frigidissimus) potas. Interim ille certis dimensisque momentis, vel subtrahitur, vel assurgit. Annulum vel quid aliud ponis in sicco, adluitur sensim, ac novissime operitur: detegitur rursus, paulatimque deseritur: si diutius observes, utrumque iterum ac tertio videas.

Lacus Comensis.

S

Ticinus,